

29
aatem DEUM absque omni coëxistentiâ rerum aliarum ab æternitate durantium durasse, negare tenerentur, fabulati sunt *tempus* quoddam *imaginarium*, quod, definiēte ipso Arriaga, sit *ens rationis sive tempus à nobis fictum successivum ad similitudinem Entis realis*, ut in ordine ad illud *tempus fictum explicemus diversitatē durationum*, & ab hoc imaginario tempore DEUM aliaque in æternitate, si quæ darentur, existentia denominari posse, & mediante hac denominatione DEUM suam nasci durationem profiteri non erubuerunt; Sed quis vanitatem hanc non rideret, quis non videt, Autores hos, contemplando rerum ante pedes occurrentium durationes ab extrinsecò cœli motu denominari, aliarum durationum eandem esse conditionem arbitratos esse. Sed fallunt & falluntur, agnoscimus quidem per nostri intellectus & phantasiæ imbecillitatem nihil concipi durare, nisi connotando tempus, cui coëxistat, nam permanentia in esse, in quo formale durationis absolvitur, ab existentia saltem ratione differre mox audiemus; ergo in duratione debet concipi aliquod connotatum, quod non concipiatur in existentia, hoc autem connotatū accipitur ab intellectu nostro commodissimè per rationem temporis, quia permanere in esse est habere existentiam, quâ res primò & immediatè habuit ante, ab illo autem existentie momento concipitur res durare, quia illud esse in primo existentie momento conceptum postea servat: at verò ante & post sunt denominationes temporis. Verum hæc saltem propter modum concipiendi nostrum ita disputantur, quod autem in hoc duratio rerum non formaliter consistat, liquet, quia denominationes illæ temporum ex propriâ Autorum illorum confessione sunt extrinsecæ, durationes verò rebus insunt extrinsecis omnibus sublatis & remotis, sic lapis cessante motu cœli, cessante quoque hominum intellectu, qui à motu cœli lapidem denominaret, ipse tamen cessare nequaquam intelligitur. Accedit, formale alicujus rei primò inesse, denominationes verò non primò insunt durationi, sed eam præsupponunt: huc maximè quadrant verba Mendozæ d. 17. l. 2. §. 9. *Præsupponitur existentia per se stare & perseverare cum suo intrinsecò esse, & consequenter durare intrinsecè, quàm accipere tales denominationes accidentales.* Nihilominus non inficias ituri sumus durationem unius rei posse